

in sublimi tantum, ita ut manibus attingi nequeant, ascensu opus sit, ita et Deipara protulit nobis Christum benedictum utique et dulcissimum fructum; qui tamen in cruce sublimis pendet, ita ut ad eum ascendere debeamus per opera bona, sacramentorum usum et mandatorum observationem, si gaudere illo velimus. Quoniam igitur Virgo Deipara palmæ similis fuit, congruenter actum est, quod scribit Metaphrastes, orat. de assumptione Virg. videlicet palmam ipsi e vita jamjam migraturæ a cœlesti nuntio porrectam fuisse veluti victrici.

III. Debetur Ecclesiæ Christi; quæ et ipsa comparatur palmæ locis paulo ante citatis, Cantic. VII. et Ecclesiast. XXIV. qui de Ecclesia ad litteram videntur intelligendi. Palma igitur est Ecclesia. Primo, quia invicta, nullis cedit persecutionibus, sed pressa magis erigit se ac perfecit, quemadmodum palma, ut diximus, oneribus non deprimitur, sed in modum fornacis contra pondus incurvatur sursum. Scribit in ep. ad Paulinum S. Hieronymus, gentiles ut religionem Christianorum Christianique cultum abolerent, passim loca sacra profanasse, collocasse in loco resurrectionis Dominicæ simulacrum Jovis, idque stetit ab Hadriani temporibus usque ad Constantinum Magnum per annos 180. in loco crucifixionis statuam Veneris marmoream; in Bethlehem ad præsepe lucum Bathamuco vocatum, id est, Adonidis; in ipsa specu Christi natalitia Veneris Amasium planxisse. Sed nihil effecerunt; cultus enim Christi nihil inde imminutus, verum auctus potius fuit. Refert card. Baronius, anno Domini 301. gentiles in circo, præsentate Maximiano imp. duodecies exclamasse: *Christiani tollantur*. Et iterum: *Auguste, Christiani non sint*, acclamasse decies. Quis non credidisset tunc Ecclesiam Christi jamjam excindendam esse? Verum paulo post, nempe anno 324. Constantino imp. declamante pro Christianorum religione vicissim Christiani clamant: « Qui Christum negat, male pereat. Unus Deus Christianorum. Tempora claudantur et Ecclesiæ pateant. Qui Christum non colunt, inimici Augustorum sunt. Qui Augustum salvavit, ipse est Deus. Qui Christum colit, semper vivat. Sacerdotes templorum urbe pellantur. Jubete ut hodie urbe pellantur. » Quis recenseat onera, quibus a gentilibus pressi olim Christiani? Quis gladios, ignes, equuleos, metalla, triremes, prostibula, exilia, vexationes, exactiones, dolos? Sed tantum abest ut his fracti et oppressi sint, ut inde vegetiores plures et fortiores assurgerent. Deinde palma recte vocatur, quia sicut palma folia et virorem suum perpetuo conservat, ita ut eadem

folia semper refineat, teste S. Basilio, in hexam. hom. VII. Isidor. lib. XVII. cap. VII. ita Ecclesia dogmata sua, quæ semel amplexa credidit, nunquam mutat aut credere desinit. Multoties quidem hæretici conati sunt huic palmæ decerpere suos ramos, sacerdotium, sacrificium, aliquot sacramenta, cæremonias, sanctorum et imaginum cultum, vota, bona opera, etc. Sed frustra laborarunt et in posterum laborabunt, quotquot sperant Ecclesiam aliquid remissuram de antiquissimis suis dogmatibus, ut in unum coeat cum hæreticis. Tertio, quia palmæ statura rectissima est, nullam in partem incurvata: *Sic statura Ecclesiæ rectitudo est*, inquit Venerab. Beda, in comment. Cant. *bonæ operationis, quæ ad terrenam concupiscentiam incurvari despicit, totam se ad cœlestia promerenda sustollit*. Non enim servit Deo Ecclesia propter terrena bona, sed ob cœlestia. Denique, quia palma in inferioribus aspera videtur, in summo autem pulchritudinem et fructus suavitatem ostendit: sic Ecclesia asperos in terra portat pro Domino labores, sed mercedem a Deo accipere sperat in cœlo: *Seminat nunc cum lacrymis, tunc vero cum exultatione metet*.

IV. Debetur et congruit justo cuilibet; siquidem Ps. XCI. scriptum legimus: *Justus ut palma florebit*. Primo, quia justus instar palmæ adversitatis pondere non flectitur, sed contra audentior it, viretque tam hieme adversitatis, quam æstate prosperitatis. Sic enim ad Rom. VIII. ait apostolus: *Mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis; sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos*, græce habetur; *plusquam superamus*, q. d. non tantum vincimus, sed patiendo fortiores et animosiores evadimus: sive ut ait S. Chrysost. hom. XXV. in Matt. *oppugnatione meliores*. Viderint ergo qui brevi penitentia labori tam facile succumbunt, quia palmæ non sint, proinde nec palma digni.

Secundo, sicut palma corticem gerit asperum, gaudet terra sabulosa et salsuginosa, odit fimum et terræ pinguedinem, ut testatur Plinius, loco cit. ita justus vitam gerit asperam, contentus est veste vili et cibo tenui, macerat se ciliciis et jejuniis, aspernatur mundi delicias et carnis voluptates, divitiarumque stercora, etc. Cujusmodi palma erat S. Paulus primus eremita, qui in vestibulo, quod patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, ut scribit S. Hieronymus in ejus vita, habitavit annos sexaginta, cibum et vestitum de eadem palma cepit, dactylos comedit, e foliis ejus tunicam in sportarum modum contextuit, atque ita palma fuit ei quasi tectum et domus, fuit cibus, fuit vestitus. Viderint ergo Christiani qui vitæ asperitatem exosam habent, et delicias

## CONCIO VI.

## POMPA CHRISTI TRIUMPHALIS.

I. Præcedunt tibicines. — II. Ducuntur boves. — III. Gestantur spolia, et manubiæ. — IV. Feruntur tituli victarum gentium. — V. Ducuntur captivi. — VI. Triumphator curru sublimis incedit. — VII. Tinnabulum et flagellum appensum. — VIII. Confluit populus accinens carmen. — IX. Pergit ad capitulum oraturus. — X. Datum in capitolio epulum.

## THEMA.

*Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*. Matth. XXI.

In more habuerunt Romani, cum quis imperator triumphans urbem ingrediebatur, confluere ad hoc spectaculum ex universa urbe; idemque faciebant alii Italiæ populi: undique concurrebant omnes velut in publica eaque lætissima festivitate cum aggratulatione et applausu, induti vestitu mundo et ut plurimum albo, pompam spectantes; ut scribit auctor antiq. Rom. lib. X. c. XXIX. Hodie, auditores, imperator et servator noster Christus, mortis et inferni domitor urbem Hierosolymam triumphali quadam pompa, mira et nova ingreditur. Ergo accurramus undique ad spectaculum illud, induamus etiam candidum et festivum habitum puræ conscientia, abjecta veteri et sordida peccatorum lacerna, quam spero, si nondum omnes, multi saltem hodie exuistis: accurramus, inquam, et videamus hoc spectaculum.

I. Præcedebant olim in triumphis tibicines canentes modos triumphales, vel classicum. Christum præcedunt discipuli et turbæ clamantes: *Hosanna Filio David! Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo et gloria in excelsis*. Congruè vero hoc carmen accinunt Christo, quia vox *Hosanna* seu *Hosianna* significat. O salva obsecro, q. d. O Domine salvum fac regem istum, da ei robur et prosperitatem, vel, vivat rex; ut I. Reg. X. et III. Reg. I. acclamatum regi legimus. Quia enim Dominus difficillimum certamen cum diabolo et morte brevi initurus erat, jamque ad certaminis locum venerat, apposite precantur ei salutem, robur et victoriam, divino inspiratu (tametsi hoc sensu turbæ ea verba non intellexerunt.) Quin et pueri idipsum Christo acclamabant; ut testatur infra Matthæus. Rudes ergo turbæ, et his rudiores pueri divinos canunt modulos Christo, (quis hoc non miretur; nec vero mirari solum, sed et imitari decet nos hoc carmen.) Descendit enim et nunc præsertim isto tempore in certamen Christus ejecturus e pecca-

tantum sectantur, quam dissimiles Paulo et palmæ sint.

Tertio, palma fructus habet pari cum foliis æquilibrio, ut scribit Pierius, l. L. hierogl. Ita Christianorum verba cum operibus consentire debent. Quod promittunt verbo, opere præstare; quales se professione jactant, tales se vitæ conversatione exhibere; quod alios docent, ipsi etiam facere studeant. Hac de re commendatur Origenes (ante lapsum) ab Eusebio, l. VI. hist. c. III. *Quod qualis ejus erat sermo, tales et mores, et quales mores talis sermo*. Et S. Basilius, de quo S. Greg. Nazianzenus, in ejus laudibus scribit: *Oratio Basili erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur*.

Quarto, palmam a similitudine manus concavæ quam vocamus palmam, dictam esse volunt, ideoque ejus fructus dactyli, id est, digiti, vocantur, quod eorum similitudinem expriment. Ergo palma palmæ datur et debetur, quando scilicet per virtutum studium ascendimus in palmam et apprehendimus ejus fructum. Manus aperiendæ pauperibus, extendendæ ad bona opera, conferendæ ad pugnam, ut palmam triumphalem capere mereamur. *Non enim coronabitur nisi qui legitime certaverit*, inquit apost. II. Timoth. II. Et propterea Ecclesia distribuit hodie palmas et dat in manus nostras, ut materialium ramorum consideratione excitemur ad parandam nobis veram victoria palmam; ideoque in earum benedictione canit: *Palmarum ramus de mortis principe triumphos expectant*. Non sane lignei illi, sed nos utique si vicerimus. Nobis enim in cœli parietibus palmas cælatas vidit Ezechiel, cap. XLI. quia victores nos expectant victoria trophæa: quorum symbola nobis monstrat hodie Ecclesia et proponit luctatoribus qui diebus istis victoriam retulerint, de mundo, carne, diabolo et peccatis suis.

Ergo, auditores, de terrena palma ad cœlestem contendamus. Non simus velut infantes, qui litterarum picturas solum admirantur, intellectum non penetrant: sed, velut eruditi, qui neglecto externo symbolo, reconditam quaerunt sapientiam; nec contenti palmis istis, ad illas potius consequendas nosmet extendamus quanto possumus conatu, quæ æternum nos beabunt et dulcissimum gloria fructum sine fine germinabunt.

torum animis diabolum, quod maxima sæpe numero difficultate fit. Ergo precemur, ut tam in nobis quam in aliis vincat Christus, ut ipse sit rex noster, ut nobis pacem conscientiae restituere dignetur.

II. *Post hos ducebantur boves mactandi in sacrificiis, vittis sertisque redimiti, et aliquando auratis cornibus*, inquit auctor suprad. Boves sunt apostoli et discipuli Christi, qui gaudentes laudabant Deum voce magna, ut scribit Lucas. Boves inquam illi, qui mare æneum, hoc est, baptismum gestaturi erant per universum mundum, III. Reg. VII. Boves illi, qui segetem Domini trituraturi, quod testatur apost. I. Corinth. I. Boves et tauri illi, de quibus ait Dominus, Matth. XXII. *Tauri mei et altitia mea occisa sunt*. Mugiebant quando, nunc laudabant Deum voce magna, et postea sua prædicatione, ita ut in omnem terram exiret sonus eorum. Sertis redimiti erant, quando nunc gaudio impleti, futuri etiam postea martyrii corona insignes, auratis cornibus armati, quia virtute divina ejiciendi spiritus et patranda miracula præditi. Denique post Christi passionem et ipsi immolandi erant varia per martyria, adeoque suo sanguine Christi gloriam testaturi. Mirandi profecto boves! Quis unquam imperatorum tales in triumpho duxit vel ducere potuit?

III. *Illis succedebat speciosa ostentatio spoliiorum et manubiarum, quæ singulari arte composita partim plaustris vehebantur, partim gestabantur ab adolescentibus ornatis*, subdit idem auctor. Quæ vero isthæc spolia in triumpho Christi, nisi vestimenta, quibus semetipsos ultro spoliarunt plurimæ turbæ, et qua iturus erat Dominus, vias instraverunt? Quæ manubiæ nisi rami virides, quos manibus decusserunt ex arboribus, et partim ei substraverunt, partim manibus gestantes prætulere? Significabat vero istud plurimos fideles Christi evangelio expoliandos iis rebus, quas diligere solet mundus, quasque ipsi prius dilexerant, abjecturos vestes splendidas et mutatos cum centonibus mendicorum, uti fecit Antonius, Serapion, Franciscus, Ignatius Loyola, alique infiniti pene, qui pro amore Christi suas opes et ditissima patrimonia reliquerunt, pedibusque Christi, pauperibus inquam, substraverunt; rursum decisuros a suo corpore ramos, seu virorem splendidi ornatus, formæ elegantioris, ventris obesi, etc. turbatos faciem et maceratos corpus jejunio, cilicio, flagellis, vili cibo et vestitu: e collo abrepturos splendida collaria, e capite corollas, inaures et armillas ab auribus et manibus, aureos torques et monilia; eaque in lutum abjecturos, et velut stercorea cal-

cenarios. Quæ omnia effecit Christus nulla adhibita violentia. Quis unquam imperatorum talia obtinuit spolia?

IV. *Ferebantur et tituli victarum gentium cum imaginibus devictarum urbium: ac fuerunt spoliis interdum mixta animalia antea non visa*, inquit cit. auctor. Non desunt etiam ista in triumpho Christi. Ibi enim ducunt apostoli in triumpho, modo asinam, modo pullum ejus; (per vices enim alteri insedisse putatur Christus.) Asina porro jugo assueta typus et imago erat devictæ, hoc est, certissimo vincendæ et Christo subjungendæ synagogæ, jugo veteris legis prius alligatæ; pullus autem jugi expers imago gentilitatis indomitæ et exlegis, Christi jugum suscepturæ. Quis unquam vidit asinos in triumphum duci? Et quid tales asinos, gentiles et Judæos, adeoque totum orbem? Alii victores de certis quibusdam populis a se devictis nomen sibi affixerunt, velut Africani, Asiatici, Germanici, etc. at nemo orbis totius domitorem se asserere ausus est. Solus Christus dicere potuit: *Ego vici mundum*, Joan. XVI. Quodque mirabilius est, verbo non ferro vicit. Ut enim asellos istos solvi per apostolos jussit, ac si quis id prohiberet, responderi: *Quia Dominus his opus habet*, et statim obtinuit; nemo reluctari potuit: ita suo evangelio per apostolos prædicato mundum superavit, et a laqueis dæmonum solutum sibi servire fecit: nemo id tyrannorum, nullus Nero, nullus Diocletianus, nullus Julianus, potuit impedire, tot licet machinis et dolis suis.

V. *Succedebant inde, qui ab hostibus capti erant, duces vincti catenis, et post illos ante currum imperatoris portabantur coronæ aureæ, si quæ ipsi ab urbibus et provinciis summi honoris causa, quod sæpe accidit, per legationes exhibita*, subjicit auctor ille. Sed ubi in hoc triumpho vincti? Ubi coronæ? Vinctos dico in primis illos, qui amore et fama Christi acciti ex urbe processerunt obviam Christo. Quis enim extraxit foras cives, qui in ipsa urbe spectare et expectare ingredientem Christum poterant, nisi aureum amoris (aureis enim catenis olim duces capti inducebantur) vinculum? Præterea vinctos assero Pharisæos, et principes sacerdotum, quibus pompa hæc displicuit, interim tamen ab eis tolerari debuit, nolentibus volentibus, quia nimirum a triumphatore nostro vincti tenebantur. Jamdudum illi concluserant, *ut si quis cognoverit, ubi sit, indicet, ut apprehendant eum*, Joan. XI. At jam apparet coram omnibus, quodque amplius est, cum regali pompa ingreditur urbem, et rex proclamatur. Quid agitis Pharisæi? Dicitis quidem: *Magister, increpa discipulos tuos*. Sed cur vos non

increpatis? Cur non magistrum suum? Quid agitis vos Herodiani? Quid vos officiales Cæsaris? Regem nuncupari hunc auditis: quare non inhibetis? Quare non in vincula abducitis? Nimirum ora et corda vestra rex iste in sua manu habet: vincti ipsius estis, paulo post jugulandi.

VI. *Tum demum ipse imperator curru sublimi magnifice exornato vehebatur, fulgens veste triumphali, et redimitus corona laurea ramumque lauri manu gestans*, addit sæpe dictus auctor. Non desunt etiam ista nostro triumphatori. Currum desideratis, seu quadrigam? Quadrupes jumentum est, mite et humile quidem, sed huic regi competens. Quod enim per splendorem quærit mundus, hoc sibi per contemptum acquisivit Christus. Nec per quadrigas et currus Pharaonis, subjugare mundum venit, sed per asinum; quia placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, ait apostolus, I. Cor. I. Ornatum quadrigæ vultis? Vestimenta discipulorum sunt, quibus instraverunt asinum omni purpura digniora: nam et catenæ et semicinetia et umbræ eorum salutaria ægris fuere. Sed ubi triumphalis Christi vestis? Ea olim picta palmis, et hinc palmata dicta erat ab imagine palmæ ei impressa, ut scribit Thomas Dempsterus in addit. ad antiq. Rom. lib. X. cap. XXIX. Hæc itaque in Christo sunt ii, qui cum palmarum ramis eum comitati sunt quod scribit S. Joannes. Omnes qui adhærent Christo vestis et ornamentum ejus sunt, teste Isaia, cap. XLIX. Quid igitur palmæ in manibus turbæ, nisi palmata Christi vestis, qua præsignare voluit victoriam, quam de idololatria, mundo, peccato, inferno reportaturus erat? Corona laurea quid nisi regius titulus, quem illi turba tribuit? Nec vulgaris ille, sed Davidici regni nunquam interituri, quemadmodum et laurus fulmine non icitur. Ramus lauri manibus Christi prophetia Zachariæ est, quam citant et attribuunt ei evangelistæ nimirum: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum*. Quid enim hæc prophetia aliud quam lumentum Dei testimonium, et quodammodo sceptrum regni Christi dignitatis et auctoritatis ad regendos omnes populos?

VII. Curru tintinnabulum et flagellum appensum erat; a tergo etiam occurrat ei publicus minister: *Respice post te, hominem memento te*, admonens eum volubilis fortunæ, qua novercante in eam redigi possit calamitatem, ut flagris cædatur et capite damnetur, ut scribit ex Tertulliano et aliis idem auctor. Habuit etiam in triumpho suo monitorem istum Dominus, urbem Jerosolymam, quam videns coram se quidem, reprobata tamen et post tergum abjectam, de-

flevit, prævidens quanta post paucos dies ab ea passurus esset, qui nunc tanto honore exciperetur. Vidit itaque Jerosolymis Christus flagellum sibi paratum, vidit tintinnabulum sibi velut malefico appendendum, quando a militibus educendus esset ad calvariæ montem, agnovit sese hominem et propterea vinum hujus lætitiæ miscuit suis lacrymis, non tam ob suam mortem quam ob Judæorum perditionem plorans.

VIII. Confluebat undique populus triumphale carmen accinens, cui etiam licebat jocos miscere et convicia in triumphatorem dicere, ut docet ibi auctor antiq. et Dempsterus in addit. Non desunt etiam ista in triumpho Christi: ingrediente enim in urbem Domino commota est universa civitas dicens: *Quis est hic?* Quibus responsum est: *Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ*. Alii etiam, ut princeps sacerdotum et scribæ propterea indignati sunt, dicentes Domino: *Audis quid isti dicunt?* teste Matthæo: Pharisæi item qui dicebant: *Videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum abiit*. Significabat vero hoc universum mundum audito Christi adventu commovendum, ejusque evangelio instruendum esse ad fidem. Alios vero superbos et inflatos evangelio restituros, uti tyrannos et hæreticos, sed frustra tamen.

IX. Perrexit ad capitolium precaturus et acturus Jovi gratias, necnon coronam ei suam et manubias dicaturus: ubi etiam hostes abduci jussit in carcerem vel plecti. Idem fecit Dominus in triumpho suo: recta ad templum perrexit et inde dejecit ementes ac vendentes, mensas quoque nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit; uti subjicit Sanctus Matthæus. Capitolium curia imperatoris erat: templum domus Christi erat. Porro suum triumphum ad templum direxit et ibidem finiit. Primo, ut indicaret se in eo non suam privatam, sed Patris gloriam quæsisisse. Itaque hoc suo in templum ingressu omnem sui triumphum gloriam, spolia et coronam dicavit Patri suo. Deinde regnum suum non fore temporale, quale expectabant Judæi terrenis opibus ac pompis conspicuum, sed spirituale et externum, consistere in Dei cultu, in templo, non in foro, etc. Denique, ut doceret nos omnem nostram prosperitatem tam corporalem quam spiritualemente Deo acceptam ferre, et ad ipsius gloriam, non ad nostram dirigere debere. Ejecit vero e templo nundinatores, ut exhiberet Judæis actum aliquem regni suæ auctoritatis, quam ei tunc tribuerant: nec in rebus politicis, sed in spiritualibus, ut intelligerent regnum ejus spirituale esse, non civile. Triumphatori in die triumphum summa in

urbe potestas erat, tametsi alioquin ipse imperator non foret: ita Christus pro sua auctoritate purgavit hodie templum Patris et eiecit inde hostes ac latrones. Qua re etiam insinuare voluit, puniturum et ejecturum se ex Ecclesia eos, qui suis sceleribus eam contaminarent, imprimis vero sacerdotes, qui cum templa Christi esse deberent, sæpenumero e templis fiunt spelunca.

X. Datum in ipso capitolio epulum sumptibus publicis et aliquantum pecuniæ viritim plebi distributum, inquit auctor antiq. cit. Factum et hoc in fine triumphi Christi. Accesserunt enim ad eum cæci et claudi in templo et sanavit eos, ait S. Matthæus. Fuit hæc misericordia et medela miseris exhibita plusquam epulum aut pecuniæ dispersæ. Voluit autem Dominus hoc curationis beneficio triumphum suum claudere, primo, ut ostenderet se verum Messiam esse, ut qui regiam suam auctoritatem non solum ejectione nundinatorum, sed etiam miraculis et curatione ægrorum comprobaret.

Secundo, ut doceret quem in finem descendit de monte Oliveti in Jerusalem, id est, de cælo in terram, ut nimirum quæreret quod perierat et sanaret quod afflictum erat, peccatorem scilicet. Gentiles cæci erant, quia verum quidem Deum ignorabant: Judæi claudi erant, quia verum quidem Deum noverant, sed in ejus lege non recte ambularant. Ambos curaturus de cælo venit medicus, sed gentiles cæci prius accesserunt; scribit enim Joannes, capite XII. dum hæc in templo agebantur, accessisse gentiles ad Philippum dicentes: Domine, volumus Jesum videre. Sequentur Judæi ad finem mundi primum ut ita verificetur quod loties inculcavit Dominus Judæis: *Primi erunt novissimi, et novissimi primi*. Denique ut doceret templum esse quoddam nosocomium, in quo cæci illuminare possunt verbo Dei: claudi et qui non recte ambulant, erigi ad gressum salutari usu sacramentorum, maxime pœnitentiæ et eucharistiæ: ibi datur epulum publicis Christi sumptibus, cum s. communio administratur; ibi distribuitur pecunia cum datur absolutio pœnitentibus.

Ergo, auditores, postquam spectavimus Christi triumphum, non negligamus ejus epulum et aurum quod distribuit. Pœnitentia et eucharistia duo sacramenta sunt hoc paschali tempore omnibus ex præcepto suscipienda: illa aurum præbet, quo debita nostra exsolvimus, hæc epulum, quo vires animæ debilitatas restauramus. Quod si ad pecunias colligendas, ad convivia quoque impigre accedimus, cur non multo magis ad hæc, etc.

## CONCIO VII.

## CAUSÆ TRIUMPHANTIS CHRISTI INGRESSUS.

I. Quia brevi certissime victurus erat. — II. Quia agnus paschalis erat. — III. Ut suum patiendi desiderium monstraret. — IV. Ut mortem in se provocaret. — V. Ut ostenderet mortem suam fore gloriosam. — VI. Ut exhiberet Judæis speciem sui Messie. — VII. Ut hinc augetur passionis ejus ignominia. — VIII. Ut mundi pompam damnaret. — IX. Ut fallacem mundi gloriam ostenderet.

## THEMA.

*Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. XII.*

Honor triumphi ad Romanos olim fuit illud summum, jucundissimum ac magnificentissimum præmium, quo præcellentium imperatorum, qui res in bello præclare et feliciter gesserant, virtus et fortuna consueverant ornari. Quamobrem hic honor non cuivis passim victori concedebatur, sed qui ad minimum quinque millia hostium una acie cæcidisset, ut testatur auctor, qui describit antiquitates Romanorum, libro decimo, capite vigesimo nono. Quo prælibato, insurgit non spernenda quæstio: quamobrem Christus Dominus hodie ad modum triumphalis pompæ, ingressum suum in Jerusalem voluerit instituere. Ipse enim neque adhuc pugnarat, adeoque necdum vicerat hostes. Et ubi quinque millia cæcidit? Ad hæc honores mundi fugere potius quam quærere solitus erat Dominus. Quæ ergo hujus triumphi causæ et rationes? Audiamus.

I. Quia tametsi nondum aperto Marte cum hostibus pugnarat, post quadriduum tamen pugnaturus et certissime victurus erat, et quidem hostes quinque validissimos; qui non quinque millibus, sed plurimis hostium agminibus, æquivalent: mundum, peccatum, diabolus, mortem, infernum: (uti suo loco explicabimus). Hos ergo quia noverat infallibiliter a se debellandos, idcirco ante pugnam, palmam eis præripit. Norat vires suæ divinitatis Dominus, quas non norant hostes; norat victoriæ suæ trophæa, id est, passionis suæ merita jamdudum antiquis patribus anticipata solutione communicata fuisse; norat rationem præliandi et vincendi prius inusitatam, omnibus incognitam: nimirum ipse si occumberet. Facili negotio debellarunt superiore sæculo Indos et novi orbis incolas Lusitani, quia beneficio pulveris tormentarii, qui illis adhuc ignotus erat, straverunt etiam procul existentes balistis suis, quas mirati barbari persuadere sibi non poterant tali sclopeto, quod fustis longitu-

dinem non excederet de procul aliquem sterni posse. Consimili modo diabolus minime intellexit se posse superari ab eo, quem ipse in crucem mitteret: intellexit vero Christus. Codro Atheniensium regi, cum magno hostium agmine premeretur, oraculum Delphici Apollinis interroganti, quomodo bellum id sedari posset, responsum est, bello finem imponendum, si ipse hostili manu occidisset. Ergo rem confectam habebat, induit se vulgati militis habitu et intravit castra hostium, ubi et occisus est, suaque illa morte salutem patriæ tulit, Valer. lib. V. c. VI. Scivit etiam Christus divino oraculo constitutum fuisse, ut si ipse posuisset pro peccato hominum animam suam, videret semen longævum et triumpharet; (Isa. LIII.) non scivit hoc diabolus. Ergo quia certam sibi victoriam præviderat jam Dominus, novo et insueto more triumphat ante victoriam.

II. Quia Christus erat in paschate immolandus, figuratus in agno paschali. Porro is die decimo comparari et induci in urbem debebat ex lege, Exod. XII. tum ut agni integritas (debebat enim esse sine macula) interim constaret, tum ut ejus crebro balatu excitarentur Hebræi ad recolendum Dei beneficium redemptionis e servitute Ægyptiaca. Congruerat ergo ut Christus hodie, id est, quinta die ante immolationem suam in urbem induceretur cum solemnitate; tum ut intermedio tempore (quo continuo fere in templo docebat) constaret ejus innocentia, tum ut ejus crebris sermonibus excitarentur homines ad intelligendum redemptionis beneficium. Propterea illis diebus multas proposuit eo tendentes parabolas: de vinea et ejus improbis agricolis, qui filium domini sui ad se missum occiderunt; de lapide angulari reprobato; de nuptiis filii regis. Acrius etiam tunc redarguit vitia Pharisæorum: prædixit urbis excidium, etc. Sed surdastri illi vocem balantis agni minime agnoverunt.

III. Ut lætitiæ cordis sui, qua ad passionem venit, et desiderium patiendi ostenderet. Duo enim erant in passione Christi, acerbitas dolorum, et fructus inde promanans. Ratione primi peracta ultima cœna exivit ad passionem tristis et mœstus, ratione secundi ingreditur hodie urbem cum jubilo et triumpho. Cæterum lætitiæ suam publicam, tristitiæ vero privatam esse; illam præmittere, hanc postponere voluit, ut indicaret zelum gloriæ divinæ et amorem salutis nostræ plus in eo potuisse, quam timorem mortis et cruciatuum (juxta id Cant. VIII. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, id est, nullæ injuriæ, calum-

niæ et persecutiones Christi sufficient ad restringendum ejus amorem) adeoque mœstitiæ et horrorem mortis solum in parte animæ inferiore et sensitiva fuisse, non in superiore et rationali, quæ mortem constanter optabat. Ergo nunc posthabitis doloribus et ignominia crucis cum jubilo et solemnitate progreditur ad passionem quasi ad nuptias vel convivium: quia præ amoris dulcedine ad animas tantum desponsandas sibi attendit, non ad dotem sanguinis pro iisdem dandam: ad epulas aspexit, sibi uniendas per amorem, non ad pretium mortis pro iis exsolvendum. Exemplum hoc secuti martyres ad martyria volarunt; carbones pro gemmis, craticulas pro lecto florido, cruciatus pro epulis habuerunt. Magdalena illa Japonica medio in rogo sertum sibi de carbonibus fecit et capiti imposuit, apud P. Triguat, in triumphis Jap.

IV. Ut hac ratione mortem quodammodo in se provocaret, ut ait auctor imperfecti, quomodo scilicet Sanctus Ignatius martyr ad bestias damnatus dicebat se eas provocaturum ad sui devotionem, quod hoc sibi immensum gloriæ pondus in cælo pariturum esset. Sciebat Christus suo hoc ingressu offendendos sacerdotes, indeque causam captaturos ad mortem sibi accelerandam. Verum uti David non desiit ludere ante arcem et saltare, tametsi uxori Michol displicere hoc agnoverat, sed potius inde ad ludendum magis excoctatus fuit: *Et ludam*, inquit, *coram Domino, et vilior fiam plusquam factus sum*, II. Reg. VI. ita etiam Christus humilem istam pompam ac lætitiæ noluit intermittere, tametsi eam noverit displicituram improbis.

V. Ut ostenderet passionem suam, licet Judæis ignominia videretur et scandalum foret; apud alios tamen recte sentientes fore sibi gloriosam et victoriosam. Nusquam enim tot tantisque modis Christi gloria patefacta est atque in passione, ubi uno verbo integram cohortem prostravit, uti olim Samson mille viros asini maxilla; volens ostendere uno hoc ictu, quam eos sternere, calcare, dissecare, conterere et perdere posset, si vellet. Judas sua pœnitentia, Petrus suis lacrymis, Pilatus et uxor ejus, latro et centurio, turbæ denique percutientes pectora sua, elementa quoque et cælum, mortui denique resuscitati ejus innocentiam et majestatem plusquam humanam confestati sunt. Taceo vigiles sepulcri et quæ Christi resurrectionem consecuta sunt testimonia. Quamobrem Sanctus Petrus, ep. I. capite I. vocat eas *posteriores Christi glorias*.

VI. Ut haberent Judæi speciem aliquam Mes-

siaē sui, quem expectarent Salomonis instar cum splendore et pompa ad se venturum. Interim tamen hanc pompam ita humilitate miscuit, ut ostenderet eis regnum suum non temporale sed æternum, non terrenum sed cœleste, non corporeum sed spirituale esse, juxta prædicationem Zachariæ, cap. IX. ex qua discere possent, venturum Messiam pauperem super asinam et pullum: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi*, q. d. Diu desiderastis regem vestrum Messiam regio apparatu: ecce vobis regem vestrum. Verumtamen mansuetum et sedentem super asinam, quia non armis, sed mansuetudine orbem superabit.

VII. Ut hinc augetur ejus abjectio et ignominia in passione juxta Bern. in serm. II. dom. hodiern. Quanto enim quis gloriosior aliquando fuit, tanto major est ejus ignominia, cum deprimatur. Quoniam igitur Dominus extrema queque pati voluit, adeoque excessum passionis facere: ideo hanc sibi prius gloriam exhiberi passus est ut in altum evehctus profundius ad tempus caderet. Quam dissimilis mundo Dominus! Mundi et honorum sectatores prius se humiliant, ut per fictam demissionem ad honorum culmina ascendant. Christus se exaltari patitur, ut turpius deiciatur; quia ad cœlestem gloriam per humilitatem ascendendum noverat; et quo major est justus depressio, eo fore majorem ejus exaltationem.

VIII. Ut mundi pompam turgidam hæc sua humili dampnaret. Terreni imperatores, cum fastu et arrogantia instituebant suos triumphos, splendidissimo vehebantur curru, cui alii junxerunt leones, ut Marcus Antonius, teste Plinio, l. VIII. c. XIX. alii elephantas, ut Pompeius, ibidem lib. VIII. capite II. et Caius Julius Cæsar Gallico in triumpho, cujus currum quadraginta elephantas traxerunt, apud Sueton. cap. XXXVII. alii cervos, ut Aurelianus imp. ap. Fl. Vopiscum, in Aurelianos; alii tigrides, ut Antonius Heliogabalus, teste Æl. Lampridio in Heliog. alii equas hermaproditas, ut Nero, auctore Plin. l. XI. c. XLIX. alii reges a se devictos, ut Susacus Ægypti princeps, apud Joseph. lib. VIII. antiq. cap. X. nec tamen his tam operosis conatibus eam sibi pararunt gloriam, quam hodie obtinuit Christus; nemo eis substravit vestes, nemo acclamavit *Hosanna*: sed convicia potius in eos jactata sunt: Julium Cæsarem mœchum calvum, Ventidium Bassum mulionem clamabant. Hunc in modum et ipsi Christi servi suo mundi contemptu plus gloriæ consecuti sunt (uti humilis Antonius, Bernardus, Franciscus, etc.) quam omnes mundi imperatores suis exercitiis et pompis.

IX. Ut qualis et quam fallax esset mundi gloria, ostenderet. Hodie obedierunt ei discipuli et imposuerunt eum jumento, post quadrimum eum deseruerunt, unus negavit, alius etiam tradidit. Hodie obviam ei processit e civitate turba, post ejecit eum de urbe velut malefactorem. Hodie substraverunt ei vestes suas, postea spoliaverunt eum propriis: hodie ramos ei prætulērunt, postea spinis eum coronarunt: hodie ramos substraverunt, postea virgis et arundine percusserunt: hodie ejus laudes cecinerunt, post eum illuserunt et blasphemarunt: hodie regem suum vocarunt, postea abjecerunt, clamantes: *Non habemus regem, nisi Cæsarem*. Itaque id quod dicitur, I. Machab. I. *Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus*, poterat etiam hic de Christo dici. Hoc igitur exemplo edocti, auditores, ne fidamus mundo cum blanditur nobis et offert gaudia sua. Si enim Domino et factori suo stropham istam texere ausus est, ut subito demergeret, quem paulo ante evehctus, quanto magis faciet hoc servis et mancipiis suis?

Quando igitur vidimus jure meritissimo instituisse Christum triumphalem pompam, superest ut nos eundem excipiamus debito cum honore, junctique discipulorum turbæ, clamemus: *Hosanna Filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini*.

## CONCIO VIII.

## DOCUMENTA EVANGELICA.

I. A Christo discimus: 1. Divinitatis ejus attributa, sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam. 2. Regnorum mundi miserias. Boni regis et dominorum conditiones. — II. A discipulis servorum et subditorum dotes. — III. A turbis Christiani omnes: 1. Deponere vitia. 2. Facere bona. 3. Deo omnia accepta ferre. — IV. Ab asina peccatorum conversionem.

## THEMA.

*Alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Matth. XXI.*

Divus Bernardus, serm. I. in hanc dominicam prælatos et pastores esse ait, qui de arboribus ramos cædunt et pedibus Christi substernunt: dum videlicet e sanctorum gestis præclara virtutum exempla decerpunt, uti obedientiam Abrahæ, castitatem Josephi, mansuetudinem Moysis, etc. et Christi pedibus ac jumento, hoc est pauperibus et humilibus proponunt, quomodo scimus Jacob patriarcham objecisse ovibus hibentibus virgas decorticatas varii coloris, ut earum conspectu et imagine sibi impressa

varias oves gignerent, non irrita effectu, Genesis, cap. XXX. Sanctus Gregorius in Ezechielem, concionatores esse asserit, qui de arboribus ramos cædunt, cum ex libris patrum decerpunt sententias. Ergo, auditores, quando pastorum et concionatorum functio est cædere ramos de arboribus, aggrediar et ego hodiernum evangelium, indeque velut e silvula decerpam aliquot sententias. Et quia in eo plures reperio insignes arbores, decerpam ab iis quoque virtutum aliquot ramos. Vos estote velut oviculæ, et contemplantini eos, quia vobis cæduntur, vobis proponuntur.

I. Arbor prima et primaria Christus est, de quo insignes aliquot ramos possumus decerpere. Primo enim monstrat nobis divinitatis suæ attributa, sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam. Sapientiam, dum vidit, absens licet, in castello asinam et pullum alligatos, monstravitque discipulis: *Statim invenietis*, inquit. Vidit asinam, vidit pullum, vidit alligatos, vidit dominos primo obstituros, postea cessuros. Quis hominum tales oculos habuit? Deum ergo se ostendit, de quo apostolus ad Heb. IV. scribit: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus*: (Græce fissa, dissecta vel exenterata, q. d. Etiam intestina hominis ipsi aperta sunt) vidit ergo Dominus asinam, et non videbit peccatorem? Vidit asinæ pullum, et non videbit opera peccatoris mala? Vidit asinæ vinculum, et non videbit laqueos, quibus alligatus est peccator? Potentiam, dum inflexit corda dominorum, ut mox dimitterent asinos, ad unicum illud verbum: *Quia Dominus his opus habet*. Quemadmodum enim, Exod. XII. posuit Deus virtutem in verbis Hebræorum, ut vasa aurea et argentea, quæ peterent mutua ab Ægyptiis, statim obtinerent, sicque Ægyptum spoliarent: ita dedit etiam virtutem verbis, illi ut facile obtinerent, quod petebant. Bonitatem, dum ad urbem passioni suæ decretam ultro et cum festiva sollemnitate velut agnus ad victimam accessit. Justitiam, dum ingressus in templum vendentes et ementes ejecit, quod subjicit huic evangelio Matth.

Secundo, monstrat regnorum mundi miserias et splendidam servitutem. Nam primo, Dominum se appellat quidem Christus, interim tamen indigum ostendit operæ alienæ: *Dominus his opus habet*, inquit. Ita reges domini quidem sunt, sed indigent tamen longe magis quam ulli mortales opera aliorum. Indigent satellitio, alioquin tuti non sunt; indigent censu et vectigalibus subditorum: indigent officialium plurimorum necnon consiliorum opera, ita ut sine

ipsis nihil quidquam possint: indigent exercitibus ad tutandum regnum, etc. Deinde in sublimi quidem vehuntur, aliis in humili constitutis, verum interim omnium oculis patent, ita ut omnes etiam minimi eorum defectus observentur et vulgi fabula fiant.

Tertio, sedent in throno vel equitant, aliis stantibus vel incedentibus; sed interim parum quiete degunt. Ut enim Christus Dominus nequaquam commode vectus est in asino: (sella enim caruit, vestes parum adjumenti dederunt; ad hæc in descensu montis, quo alii solent ab equis descendere, asinum ascendit) ita reges quoque parum quietis, plurimum vero curarum et molestiarum habent. Triumphalis Christi gloria brevis fuit, quemadmodum et illorum, qui Romæ olim triumphabant (unico enim triumpho die imperium penes ipsos erat) ita etiam *omnis potentatus brevis vita*, Eccl. X. Unde cum ramis et frondibus Christo obviarunt, frondes enim quia radicibus carent, ideoque brevi exarescunt, typus sunt mundanæ felicitatis et gloriæ. Denique honor ille, quem hodie Christo exhibuerunt Judæi, brevi mutatus est in summam crucis ignominiam: ita gloria mundi desinit sæpe in stercus et lutum. Vere ergo dixit Antigonus rex regnum esse *splendidam servitutem*. Sensit et Hadrianus VI. pontifex Caroli V. præceptor, cujus sepulcro incisum fuit hoc elogium: *Hadrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi in vita infelicis duxit, quam imperare*, Paulus Jovius in ejus vita.

Tertio, monstrat boni regis et suo modo etiam aliorum dominorum dotes et conditiones. Nam imprimis Christus, Domini appellationem tribui sibi voluit; *Dicite quia Dominus his opus habet*, unde et asino vectus incessit, dum alii pedibus. Ita ergo rex tueri auctoritatem suam debet; siquidem per eam continentur in officio subditi; vicissim *dum nimia servatur humilitas, regendi frangitur auctoritas*, inquit S. August. c. Quando, dist. LXXXVI. Secundo, miti in jumento sedit; unde vocatur rex mansuetus. Ita decet reges clementia et mansuetudo. Ad horum instructionem regi apum natura negavit aculeum, vel saltem non concessit eas usum, ut scribit Plinius, lib. XI. cap. XVII. Saul ex mansuetudine Davidis collegit eum fore regem sibi successurum, I. Reg. XXIV. *Nunc scio quia certissime regnaturus sis*, q. d. Quia mihi vitam cum eripere posses conservasti et donasti. *Muliebri est furere: ira non decet regem*, inquit Seneca, libr. de clem. c. V. Tertio, in medio turbæ incessit; aliæ turbæ præcedebant, aliæ sequebantur. Sit igitur et princeps in medio populi sui, ita ut æqualiter omnibus jus dicat, attendat, provideat,